

## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias  
Examinis Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,  
præsertim Religiosis accommodatum

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066413**

Industria VIII. Ratio examinandi Conscientiam per Examen illius à Deo  
factum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45441**

coram Te expēsto, & expēto nutum voluntatis Tue,  
 & imploro auxilium, expēto cōsilium, propono  
 būmillimum promptissimumque obsequium.

USUS Industriæ hujus esse potest tempore  
 Examinis, tempore Sacri, post communionem  
 Sacramentalē, in Præsentia Sanctissimi Sacra-  
 menti, post singulas actiones, vel etiam post  
 aliquantum longas, ac multas distractiones,  
 dummodo ratio habeatur temporis, actionis,  
 proximi, commoditatis, aliarumque circum-  
 stantiarum, in quibus brevior aut prolixior esse  
 potest, ac debet usus hujus Industriæ. Hoc et-  
 iam in ejus usu monuerim, ut dum quis cāuti-  
 volet, non sit in ea, (sicut & in omni altera  
 examinandi conscientiam ratione, id servandum  
 est) festinus, sed lente & cum perpensione sin-  
 gularum punctorum negotium agat; tum ut in  
 luas actiones ipse oculum possit conjicere,  
 earumque statum nosse; tum ut audire possit,  
 quid Divina lux & veritas dignabitur ei forsitan  
 respondere.

## INDUSTRIA VIII.

Ratio examinandi conscientiam per examen illius  
 à DEO factum.

HÆc Præsens Industria, in hoc cum priori  
 convenit, quod sicut illa, ita ista statum  
 suum cognoscere laborat, ex judicio sensuque  
 Dei, de se, & de animæ statu, defectu, & pro-  
 fectu, in hoc autem differt, quod illa petendo  
 assequi notitiam sui laborabat, in hac vero ani-  
 mæ non petenti, ea ipsa notitia sui offertur. Id

C 3

enim

enim agit hæc Industria, ut homo à Deo Judice,  
 & quasi subirato sese cognoscat, & statum suum,  
 statumque actionum suarum quotidianarum  
 melius perpendat & excolat. Nimirum sèpè in  
 nobis dormit charitatis fervor, hic ergo excitandus  
 est timoris frigore, seponenda sunt (ut  
 alicubi monet Bernardus Serm. in cant.) parum  
 per pia vocabula, timor advocatur, excitetur, ut  
 excitet animam dormientem, aut dormitantem.  
 Hoc igitur Negotiator spiritualis, duce hâc,  
 aget, Industriâ.

1. PUTABIT se instar servi multa Domino  
 debentis, vel instar villici inqui apud Domi-  
 num diffamati, aut instar servi pigri, qui Domi-  
 ni talentum defodit sudario involutum, in terra,  
 evocari ad Regem & Dominum reddendæ ra-  
 tionis causâ.

2. AUDIET à DEO juberi se depromere  
 libellum rationum, verius conscientiæ propriae,  
 cordisque sui, cum operibus & actibus suis,  
 (annuis, menstruis, hebdomadariis) hodiernis.

3. Attendet, Deum in tabella cordis sui ac-  
 curatè legentem, scrutantemque in æternæ illius  
 suæ veritatis, atque lucis perspicacis, oculis, &  
 lucernis, omnia peccata errataque sua. Hic at-  
 tendet, quomodo Deus expendat suam de le-  
 çtulo resurrectionem, vestitionem, orationem,  
 Sacrum, horas canonicas, studia, laborem, o-  
 mnem denique actionem. Attendet ad inter-  
 rogationes Dei, quid sit ei responsurus, v.g.  
 hoc opus sicne agendum dictabat voluntas, Di-  
 gitas, præsentia, amor meus? sic ratio? sic Pro-  
 fessio? sic Regulæ? sic vita communis? sic exem-  
 pla Christi, & Sanctorum, sic tua ipsius scientia,  
 doctri-

doctrina, ab aliis exactio, sic tot gratiae, & opportunitates, tot proposita, tot merita? An respondet Deo unum pro mille? Attendet, quam rara, quam pauca sint apud Deum judicem, utique verum & prudentem, bona, quae apud nos, vel apud homines apparent, putanturque bona. Attendet, quam perfectionem exigat, & voluerit inesse, in uno quoque operum praedictorum. Attendet, quomodo nihil fugiat Divinos oculos etiam minutulum, etiam homini occultum. Attendet apud Deum omnes excusationes, conniventiae, causae, impedimenta, quomodo nihil valeant, & nihil homini prosint. Attendet quomodo alia sunt humana, alia Dei judicia, & quam verum sit, quod nemo credat, quam Deus exacte, quamque severè judicet. Attendet quam non sine causa & Job & David deprecatus sit judicium Dei, quam non sine causa dixerit Paulus; nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, etenim qui me judicat Dominus est. Attendet, quam evanescent coram oculis Dei omnia opera ejus, cum omni eorum perfectione, cum omni diligentia, conatu, fervore, perfectione, & quanto magis cum desidia, negligencia, tepiditate, distractionibus, gravedine, &c. Attendet quomodo, seu quo vultu, atque oculis, quibus intueatur opera ejus singula & ipsum hominem judicans Deus, quomodo expendat, & quanti aestimet, quomodo, & quibus gestibus motibusque tractet opera, & verset, ad oculosque ipsius hominis proponat, quomodo cum sua, suaque voluntatis perfectione, regulâ, & gusto, eadem opera componat?

nat? quomodo excutiat de manibus suis, inquit  
 oculis hominis abjiciat, indignans, & contem-  
 nens opera hominis, quomodo indignabundus  
 abscedat, & tanquam sterili ficui, in qua fru-  
 etus non invenit, maledicat, vel tanquam arbori  
 inutiliter jam supra triennium locum occupan-  
 ti, securim minitetur, vel tanquam Corrossam,  
 Bethsaïda, atque Capharnaum, & Nazareth in-  
 dignetur, vel tanquam supra Hierusalem lacry-  
 mas fundat? quomodo recenseat talenta a so-  
 data ad bene operandum, negotiandum, scilicet  
 auxilia gratiarum, tam naturalium, quam  
 supernaturalium, quomodo alleget aliorum tot  
 exempla, & quidem horum in his cum homine  
 circumstantiis. Quomodo allegat Dignitatem,  
 voluntatem, merita, gustumque suum, spem  
 suam & expectationem, præmia data, promissa,  
 poenæ item interpositas. Hominis ipsius pro-  
 posita, promissa, scientiam, denique omnis  
 causa & executionis defectum, prætersolam te-  
 piditatem, inconstantiam, incuriam, ingratitu-  
 dinem. Deique parvam curam, & aestimatio-  
 nem.

4. QUID hic expectet homo aliud, quem  
 ve finem speret, nisi indignantis, & irati Dei vul-  
 tum, atque abscessum. Poenæ atque supplicii  
 impositionem, & assignationem, traditionem  
 executori &c.

5. HIS attentis, & cognitis, tanquam re-  
 ipsa & justè omnino præsentibus, & factis, ini-  
 bit secum rationes homo. Omni ratione depre-  
 cabitur faciem Domini & justam iram, fatebi-  
 tur gravissima quæque se meritum. Petet tamen  
 cum servò debitore procidens in faciem, Pati-  
 entiam

entiam habe in me. Miserere mei, & dimitte mihi omnia peccata mea. Volo emendare, volo diligentius sanctius vivere, volo hoc opus, illud, istud perfectius peragere, volo deinceps in conspectu Dei decentius vivere & operari, gratiis Dei uti.

6. DENIQUE pœnas ipse de se sumat neque tamen se pœnis Dei subduci velit: puniat homo prout debet, puniat Deus prout volet.

HÆC Examinis ratio si modo vel cum mœdia applicatione fiat, efficax valde est, & ignavis omnino necessaria; ferventibus, & semper sibi in fervore constantibus, forsitan non item, attamen tepiditate interdum aut sèpè afflari solitus, incredibile quantum utilis, quantum necessaria est: quod melius etiam cognoscet, qui uti non negliget, & usus quidem ejus, non semper forsitan esse poterit eiusmodi, ut per illud omnes omnino diei actiones individuæ decurrentur, attamen si vel aliquæ, nunc hæc, nunc istæ, deinde aliæ & aliæ sic decurrentur, non poterit esse absque grandi utilitate, hoc est morum emendatione. Qui enim timet, nihil negligit, non potest autem non timere ille, qui quotidie, non tantum credit fideliter se à Deo judicandum, sed etiam practicè hoc Dei subeundo judicium, quodammodo experitur, longè aliter esse judicia Dei, & aliter hominum, ut dicebat Agathon Abbas in vitis Patrum libel. II, num. 2.

C §

IN-